Quaestio medica Quodlibetariis disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 29 Januarii.

Clarissimo viro D. Simone Petreo D. M. Moderatore prudentissimo.

An lac Nutricis Viri Consuetudine deterius?

Cum homo aeternitatis avidus non possit singularem suam substantiam mundo sempiternam conservare, ut saltem eandem reimprimat, aliam sibi sedem per suum coniugem reponere contendit. Hinc natura mari et foeminae, ut unum ex duobus fiat, admirabilem congressus desiderium injecit, eorumque partibus obscoenis voluptatem titillantissimam indidit, ac venereae foeditati [illegible] adiunxit, ne utrique ab opere vili et laborioso abhorrerent; instrumentaque corpori accommodatissimis tum positione, magnitudine et figura, et debita conformatione instruxit. Marique, ut per alia quaedam vasa seminaria, testes, colem. Foeminae ut per sua vasa seminaria, testes uterumque concessit, tum et semen actu animatum, et spiritum ubertate turgidum ex omnibus corporis partibus decidens, quod utrinsque amabili complexu impulsum et eiaculatum vivo quam nullibi maiorem adferre voluptatem.

Semen virile emissum in muliebrem pudoris sinum, ab utero miro seminis desiderio se se in partes obscoenas provoluente, ingenti voluptate allicitur, allectum singulari amicitia, mutuoque complexu foemineo semini per cornua uteri illapso coniungitur, ac undique permiscetur utero se se undique colligente, osque suum interius adeo coarctante et claudente, ut ne vel minimum quidem effluat. Tum facultate formatrice operi se se accingente primum nobilium partium simul, deinde caeterarum conformatio, delineatio, excavatio procreatur et perficitur, in masculo quidem citius, in foemina tardius.

At quia oportuit foetum nutriri, natura prudentissima foeminam imbecilliorem, frigidiorem marem constituit, ut ex frigidiori temperamento menstrui sanguinis ubertas accederet, tum ad partium carnosarum generationem, et earundem ac spermaticarum nutritionem et auctionem, tum ad implendas capacitates quas [illegible] inter spermaticas intercedunt. Hincque per umbilicales venas ad uterum uberiori affluxu foetus tandiu alitur et fovetur, quandiu est illi sufficiens alimentum, et calor cordis sine aere respirato conservari potest, quibus indigens in utero calcitrat infans, et exitum parat diruptis tunicis et [illegible], crebra manuum, pedumque impulsione. Hinc urina sudori permixta fluente, cubiculum et laxam exitus viam faciente, coadiuvante utero expultrice facultate, simul et musculorum abdominis se se commovente, caputque declinans, cruribus in sublime distentis in lucem prodit, septimo quidem, et nono mense vitalis, non octavo.

Et cum sanguine menstruo partim fractus partim altus diu in utero gestetur, deinde tamquam familiarissimum alimentum epigastricas et mammarias consequitur ad mammas natura demittit, in quibus magis coctis in lac triplici substantia constans mutatur, et natura duce a puero vix edito exsugitur. Cui seligenda nutrix quadrata, fusca, pulchra, nitida, alacris, florentis aetatis, densa magis habitu, quam gracili praedita, pectore genitoque latiore eminentiore, + mammillis succulentis, dimidiosulis, bene collectis, respicientibus, et iusto intervallo distinctis. Cuius lac etiam album aequale copia, et consistentia mediocre, odore laudabili, et subdulce, accommodatissimum pueri erit alimentum. Cuiusmodi erit si ad mammillarum bonam constitutionem partium laudabilis temperies, nobilium situm et pondus earum salubrius accesserit.

Contrarias causas lac vitiosum reddunt, in quibus non postremas partes habet oxythymia [illegible] mulieribus familiaris et ipsa venus [illegible] et Baccho languidus, cuius cupiditate vehementi titillantur, non tamen ad salubritatem vivendum necessaria, multis quidem illa utilis, sed pituitosis picrocholis et melancholicis valde incontinentibus noxia. Cuius frequens usus, et immoderatum desiderium [illegible] saepe infatuans, spiritus et sanguinem deterendo, menses violentia effundendo profundendo, et totum corpus vitiosa qualitate inficiendo, facit ut lac a sua bonitate discedens minus commodum alimentum sit infanti. Ideirco veneris usus nutrici denegandus, tum ne ludibundo conspectu, ne basiolis lactantibus, ne sermone blando et salaci, ne mammarum suavi contrectatione, ne cantibus act- + -ibus amatoriis, et illecebris illi vehementer oblectationis imaginatio et recordatio excitanda, ne lac alioqui optimum turbetur et deterius reddatur.

Ergo lac Nutricis Viri Consuetudine deterius.

Deffendebat Joannes Rousselet Senonensis. 1573.

Dom. Doct. disputaturi

M. Guillelmus de Baillou	M. Robertus Cochon	M. Petrus Girouft
M. Martinus Akakia	M. Petrus de la Bistrade	M. Stephanus Fortin
M. Nicolaus le Sellier	M. Gentianus de Monantheuil	M. Augustinus Frondebeuf

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE